



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.3. Infernorum tormenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

hinc neces, parricidia, lites, bella, quàm gravia omnia? quid illa mortis præsentis & futuræ supplicia, inferos, flammæ, tenebras perennes? quid tot millia miserorum infantium hac gulâ consumpta? Hæc si perpendes, nonnè exclamabis? ô malum, malum! quanto sanguine stetisti? nonnè cum Zacharia [Cap. 13.] dices? *Quoniam Adam exemplum meum ab adolescentiâ meâ.* O primordia rerum! Eheu! si talia sunt initia nascentis mundi; quod erit funus & morientis, & damnati?

§. 3. *Inferorum tormenta.*

O malum, malum! ô momentum, momentum! An in Angelo cogitatio? in Adamo morsus tam atrociter? in nobis flagitium, & tot flagitia, non punientur; cum iustus sit Judex, & omnibus æquus? Descende ab orchestra in caveam inferni. Hic tibi scenam igneam, hic lanistas ostendam nunquam rude donandos. Videbis, inquam, non te, (quod avertat Deus) sed tuum peccatum mirabiliter excruciatum, qualecunque voles, blasphemiam, impudicitiam, ebrietatem. Quid hic dico? ignem æternum tui; mei, inquam, peccati pœnam esse. **IGNEM** expende, deinde **ÆTERNUM**: tum

utrum-

DE TIMORE DOMINI, 27

utramque committe , IGNEM ÆTERNUM. *Ignem*, nil gravius: *Æternum*, nil longius. *Ignem*, quo animus, quo corpus, membra, oculi, viscera, præcordia, omnia torrentur. *Æternum*, cui meta Deus, & homo, qui cruciatur. *Ignem*, qui cesset nunquam, *Æternum*, qui nunquam finiatur. *Ignem*, cui noster ignis collatus sit fumus. *Æternum*, cui vita nostra comparata sit puncto minor. IGNEM ÆTERNUM denique. Hoc est uri, uri, uri, & semper uri. Hoc unum in inferno vocabulum, una hæc actio, uri. Fallor. Una hæc passio. Manè serò, nocte dieque. Fallor, die. Nocte perpetuâ. Credis hoc? fide certum est. Credis, inquam? tu credis? ergo evici, ut nunquam pecces. *Quis enim poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitavit ex vobis cum ardoribus sempiternis? (Isa. 13.)* Tunc, fili? experire, & ante ferales orci nuptias inseluctabilem animo ac mente desponde rogam, imitare scævola Christianum, dico Martianum, (*Sur. Febr. 13.*) & injectâ in ignes manu dic animæ, dic corpori tuo: Potes in æternum uri?

§. 4. *factura gloria celestis.*

Vis adhuc amplius? ita, æterno amplius.